



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm
Christianarvm Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Capvt I. De Arrio, & ejus haeresi Arriana.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

D. HAYMONIS
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER IX.

CAPUT I.

De Arrio, & ejus hæresi Arriana.

Sed his temporibus, commoda pace & quiete Ecclesiis redditâ, alius persecutionis turbo invehitur. Etenim *Arrius* quidam, Alexandriæ Presbyter, prava quædam dogmatisat, & ab illa æterna & ineffabili Dei patris substantia vel natura, filium conatur abscindere, dicens: *Non semper Deus Pater fuit, non semper fuit Dei verbum: sed fuit, quando Deus Pater non fuit.* *Dei autem verbum, ex non existentibus factum est.* Existens enim Deus, non existentem ex non existente fecit. Quapropter fuit aliquando quando non fuit. *Creaturae enim & factura est Filius, neque similis est Patri secundum substantiam, neque verus est, neque vera sapientia ejus est, neque verum naturaliter ejus verbum est, sed unus quidem creaturarum & facturarum est.* Abusive autem dicitur *verbum & sapientia, factus & ipse, & existens in proprio Dei verbo, & in Dei sapientia, in qua omnia, & ipsum fecit Deus.* Vnde & convertibilis per naturam, sicut & universa rationalia. Peregrinum enim, & extraneum, & remotum est Verbum à paterna substantia, & invisibilis est filio pater. Non enim perfecte & integre filius novit patrem, neque eum perfecte videre potest. Nam nec suam substantiam novit Filius se-

filius sicut est. Propter nos enim factus est, & nos per eum, tanquam per instrumentum, creavit Deus; & ne quaquam substitisset, nisi nos Deus facere voluisset. Non ergo naturaliter est Dei filius, nec aliquam habet ad Deum proprietatem, quando etiam ipsum, naturæ mutabilis existentem, propter moderationem, diligentiam, & virtutem, non mutatum ad deteriorius, elegit Deus: cum et si Paulus & Petrus ad hoc pervenissent, nihil Iesus posset ab horum filiatione differre. Hic ergo Arrii blasphemus error Ecclesiam conturbat, quæstio latius innotescit; quam Alexander Alexandrinus Episcopus, persecens Arrium, Zelo fidei innotescere facit. Sermo pervenit usque ad Principem *Constantinum*. Tunc ille ex sententia Sacerdotum apud urbem *Niceam* convocat Episcopale Concilium, ibique trecentis decem & octo Episcopis residentibus cæterisque honorabilibus personis, Philosophis ac Dialecticis, & opinatissimis quibuscunque Scholasticis, Arrium adesse jubet, ac de ejus propositionibus & quæstionibus judicari. Ex utraque Historia permixtum.

C A P. II.

Commendatio errorum Arrii, & de Homouion.

Tunc de fide ibidem subtiliter disseritur, errorque Arrii condemnatur manifestis scripturarum dictiōnibus, quia & Deo filius naturaliter unigenitus est Verbum, virtus, sapientia solius patris, & Deus verus, Sicut Ioannes ait, *splendor gloriae; & figura substantiae Patris*